

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Principvm Christianorvm Stemmatu

Albizzi, Antonio

Argentorati, 1627

[urn:nbn:de:bsz:31-127027](#)

IN MARCHIONES BADENSES NOTATIONES.

HERMANNUM dicunt, Comitem Veronensem, cum Friderico I. Imperatore ex Italia in Germaniam reversum, ab eo Imperii Marchionem factum, Imutham Comitis Badensis filiam duxisse, ex quibus Marchiones Badenses descendunt; Imutha autem hæc fundavit Praeposituram Backenæ propè Muram, & pro octo Canonicis alendis dotavit, ubi sepulta jacet: Etsi non desint etiam, qui dicant, Marchiones hos ex Italia cum Friderico quidem venisse, at Comitatum Hochbergicum ipsum Fridericū eis dedisse, quem prius Zeringius ademerat: Filia Hermanni dicitur Methilde Berchtoldi Comitis Hennebergii uxor.

HERMANNUS cognomento parvus, Marchio Veronensis & Hochbergicus dictus, sepultus est cum uxore in sacello beatæ Virginis apud Backenam; Henricus vero eius filius Marchio Hochbergicus, qui in ditione Curiensi occisus fertur, in coenobio Lilmerswilæ est inhumatus.

HERMANNUS V. Marchio Badensis, Friderico bellico so Duce Austriae ab Hungaris in acie casso, Austriae ac Stiriae Ducatum propter uxorem sibi vindicabat; quæ tamen Provincia ab Othocaro Rege Bohemiae, armis occupatae sunt: huius autem filius Fridericus Dux Austriae dictus, cum Conradino Duce Sueviae ultimo, Neapolim profectus, cum ipso ibi, a Carolo Andegavensi, qui Regnum Neapolitanum iussi Pontificis occupaverat, capite est plexus, annum agens viginti octo.

RUDOLPHUS III. Marchio Badensis, dicitur Collegium Benedictinorum apud Backenam institutum: filia habuit Methildem uxore Henrici Comitis Hennebergici; Hermannus autem eius filius, Irmentardus Eberhardi illustris, Comitis Wirtembergii conjugem: sepulti sunt fere omnes hi Marchiones in coenobio Liechthal.

RUDOLPHUS à corporis proceritate magnus dictus, quæ duodecim pedum extitisse dicitur, ab uxore Comitatum Sponheimensem consecutus est; cuius filius Bernhardus, à Friburgensis in castro Mülberg per tres hebdomadas obfessus est, & per Episcopum Herbipoleensem, a Sigismundo Imperatore, tanquam pacis arbitrum, misum, reconciliati sunt anno 1424. Badæ autem sepultus est. Rudolphi filia, Margaretha, Schafhardi Comitis Leiningii, & Methilde, Henrici Comitis Hennenbergii confortes: Bernhardi vero, Beatrix, Emiconi Comiti Leiningio, Margarita, Adolpho Comiti Nassovio, Agnes, Gerhardo II. Duci Slesuicensi nuptæ, Ursula primo, Godofredo Comiti Zigenheimii, secundo Ulrico duci Teccensi collocta, & Anna, Ludovici Baronis Liechtenbergici postremi uxor.

Ex stirpe autem Marchionum Hochbergensium, Rudolphus filius Othonis, Iohanne Comite Friburgensi ultimo, cuius sororem ipse in matrimonio habebat, absque mascula prole extincto, Imperii beneficio consecutus est Comitatum Rœtelensem, & Neo-

comensem, cum Badenweilera ditione; Wilhelmus vero eius frater, ab uxore partem Domini Brigantini adeptus, eam Sigismundo Austriaco vendidit circa annum 1450. Huus stirpis postremus, Philippus fuit, qui filiam tantum unam nomine Iohannam reliquit, Ludovico Duci Longavillæ in Gallia nuptam; ea comitatum Neocomensem cum aliis Dominiis in Burgundia, dotis nomine ad virum degulit, reliquas vero ditiones, Marchionatum Hochbergicum, Comitatū Rœtelanum & Susemburgicum CHRISTOPHORUS Marchio Badensis, tanquam agnatus, consecutus est.

Ex Susemburgicis autem, qui a BURCHARDO secundo erant, (cui in divisione territori paterni cum Friderico Marchione Hochbergico fratre, pars in nigra sylva propè Rotweilam obtigerat,) Albertus eius filius, Henrico postremo superioris Alsatiæ Landgravio defuncto, de successione cum Ludovico Comite Oettingensi, & Alberto Habsburgico diu contendit, quo usque filio Alberti Rudolphi (quidein Imperator est factus) in generum adscito, jus suum, quod in Alsacia habuit, ei concessit, Oettingensis autem, suum vendidit Episcopo Argentorateni; Albertus autem predicti Alberti F. in divisione cum agnatis Comitatum Haigerloch obtinuit, qui ab Othono Duce Bavariae, suppetias laturo Adolfo Cæsari adversus Albertum Austriacum, per terras suas transiente, occisus est; huius fuit filius Albertus Episcopus Constantiensis, qui Ludovici, Bavari Imperatoris Cancellarium egit, horum penultimus Rudolphus, vendidit ann. 1381. Leopoldo Duci Austriae, parte Comitarum Hochbergensis & Susemburgici: cui, ex filio Sigismundo, neptis fuit, Margaretha, Georgii semper liberi Pincerna Limburgii uxor.

IACOBUS vero Marchio Badensis, filius Bernhardi, ab Aenea Sylvio scriptis suis celebratus, filium habuit Iohannem Archiepiscopum Trevirensim, qui multæ fuit authoritatis in Germania, & Treviri in summo Templo ad S. Nicolaum sepultus est; atque Bernhardum vitæ sanctimonia clarum, qui obiit ante nuptias cum filia Caroli VII. Regis Franciæ celebrandas: filia autem Iacobi fuit, Margaretha, uxor Alberti Achillis Electoris Brandenburgici.

CAROLUS Iacobi F. unà cum fratre Episcopo Metensi, in prælio non longè ab Heidelberga commisso, captus est à Friderico vice Electore Palatino, soluto autem pretio certis conditionibus dimissi sunt, anno 1462. sepultus est Badæ: filias habuit Catharinam uxorem Georgii Comitis Werdenbergici, Limburgæ Engelberto Comiti Nassovio & Domino Bredæ nuptam, & Margarethem Abbatissam Liechthalæ.

CHRISTOPHORUS Caroli F. unus fuæ gentis factus, Marchio Badensis & Hochbergensis, Comes Sponheimius, & Susemburgicus, post Philippi agnati obitum Ducatum Lucelburgensem, Imperatoris Maximiliani nomine, aliquandiu rexisse legitur. Hic Dominum paternum Larenfi & Rothomagensis ditionibus auxit: & primus relicta veteri arce, Badenæ migravit, Eques fuit aurei Velleris ac miles celeberrimus: filiæ eius fuere, Beatrix, Iohannis Comitis Palatini conjunx,

O o

conjunx,

conjux, mater Friderici Electoris, Rosina, Francisco
Wolfgango Comiti ab Hohenzollern, & Sybilla, Phi-
lippo Hanoviæ Comiti nuptæ, præter Maria in Liech-
thal, & Otiliam ad Portam herciniam Abbatissas.

IACOBUS filius Christophori, primum Coad-
jutor, post successor Iohannis patrui magni in Archic-
episcopati Trevirensi, vir ingenio & eloquentia prædi-
tus, Maximiano Cæsari gratus, in florida adhuc ætate
obiit, corpus Confluentiam delatum, in æde S. Florini
conditum est.

PHILIPPUSE ius frater, Marchio Badensis, qui
diu in Gallia fuit, filiam habuit unicam Mariam Iaco-
bem, Wilhelmo Ducis Bavariae nuptam ann. 1522. quæ
usque ad annum 1580. vixit.

BERNHARDUS paternas cum Ernesto fratre
partitus ditiones Badensem obtinuit: cuius filius Phi-
libertus occidus est in Gallia in cruento pœlio ad Mō-
contour, Christophorus autem alter filius adhuc vigenti
ætate extinctus est.

PHILIPPUS Philiberti F. in Bavaria apud avū-
culam Albertum & consobrinos educatus, qui Reli-
gionem Badæ mutarunt, sponsam expectans Sybillā
filiam Wilhelmi Ducis Clivensis, subita ac immatura
morte creptus est.


EDUARDUS FORTUNATUS Christophori
F. Philippo successit, (cuius fratres etiā in aula Bavarica
à pueris sunt contriti) qui cum ære alieno contracto
de alienanda ditione cogitaret, ac alia graviora moli-
retur, ab Ernesto Friderico filio Caroli consanguineo
suo expulsus, & Dominio exutus est. *Hic ex Maria ab*
Licken suscepit filios, Wilhelnum, Hermannum, & Albertum,
qui sclopetum improvidè tractans vulneratus
brevi post obiit, sepultus Badene A. C. 1626. quem Mar-
chionatū Badensem haud pridem denuò positi sunt. Obiit
autem Eduardus Fortunatus Castellonus A. Chr. 1600.
8. Junij inter 12. et 1. noctis... ramex lapsum miserrimo. Fi-
lius eius Wilhelmus in uxorem duxit Catharinam Ur-
sulam Comitissam ab Hohenzollern, cù quagenuit Fer-
dinandum Maximilianum, & Leopoldum Wilhelmu.

ERNESTUS vero Christophori filius, ac Bern-
hardi frater, cui in divisione cum fratre Marchionatus
Hochbergensis, atq; Pfortzheimium cum Dominiis,
Susemburgico, Badenweilero & Rœtelano conti-
gerat, ex prima uxore habuit Albertum filium, & Eli-
sabetham, quæ Gabrieli Salamanco Hispano, Ferdi-
nandus Austriaci (postea Imperatoris) intimo Confि-

liario, ac Comiti Ortenburgico in Carinthia creato
nupta, mater fuit, Ferdinandi, Bernhardi, & reliquorū
fratrum Comitum Ortenburgii in Carinthia, qui de
Hericuti Dominio item moverunt Christophoro
Duci Wirtembergico anno 1561. Ex secunda vero uxo-
re Bernhardum habuit & Carolum, ac Margaritam,
Wolfgangi Comitis Oettingensis, & Annam, Caroli
Comitis in Hohenzollern conjuges.

CAROLUS Princeps laude dignus, novā arcem Dur-
lachi extruxit, quod sedem ex Pfortzheimio transtulit;
Reliquas sue ditionis arces restauravit atque munivit;
ex secunda uxore genuit tres filios, quorum duo sine
mascula prole extinti sunt, tertius autem G E O R G I U S
FRIDERICUS, adhuc in viru est. Filias habuit Ca-
rolus, præter eam quæ in stemmate, Mariam, & Elisa-
betham. Cæterum Georgius Fridericum, Princeps
pius & prudens, in uxorem 1. duxit Julianam Ursulam
Friderici Rheingraui filiam, quæ mater fuit multorum
liberorum, scilicet, Catharine Ursule, quæ nupsit Ottoni,
Mauritii Landgravii Hassie filio, ambo nunc defuncti:
Friderici: Philippi, qui A. C. 1597. infans obiit: Anna
Amelia, uxor Wilhelmi Ludovici Comitis Nassoviensis
Sarapontani, quæ obiit Anno 1626. Caroli, qui A. C.
1625. in expeditione Saphoicam mortuus est: Auguste: &
Rudolphi denariorum: Christophori, qui adhuc in viru:
ut & Sybi Magdalene, nec non reliquarum filiarum,
qua omnes vitali fruuntur aura. Mortua hac priore con-
juge sibi copularvit A. C. 1614. Agatham Georgii Comi-
ti Erpachii filiam, ex qua ipsi nata sunt filiatres, quarū
una obiit, catere adhuc vivunt. Cum autem & hac A.
C. 1621. 30. Aprilis vitam cum morte permutasset in ma-
trimonium suscepit N. N. fasces tradidit Friderico filio
suo: & insignem boni publici causa instruxit & eduxit
exercitum: sed à Bavarico & Hispanico milite propè
Wimpfen A. C. 1622. superatus infugam se dedit, & cū
minus tutus in Germania ob Casarem proscriptiōnem
est, Genevæ se recepit & aliquandiu in Saphoia latuit.

FRIDERICUS filius ipsius, Princeps pacificus,
qui jam rerū in superiori & inferiori Marchionatu po-
titur, sibi in thori conjugali sociam elegit Barbaram, Fri-
derici Duci Wirtembergici filiam, quæ aliquot ipsi pe-
perit liberos, inter quos, prater filias, filius primo-
genitus est Fridericus: alter fuit
Magnus Alexander, qui
infans obiit.



IN